

**Dissertatio inauguralis medica, de venatione morbifica, von der kranckmachenden Jägerey ... / [Mihály Klement].**

**Contributors**

Klement, Mihály.  
Alberti, Michael, 1682-1757.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1739]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bxuybuwz>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE

# VENATIONE MORBIFICA,

Von der Franckmachenden Jägeren;

*Quam*

AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiossæ Facultatis Medicæ,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE  
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-  
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS

ANNO MDCCXXXIX. D. SEPTEMBR.

*Publicæ ac placidæ Eruditorum ventilationi subjiciet*

R E S P O N D E N S

MICHAEL KLEMENT,

NOBILIS HUNGARUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

VENTNATION

MORNING

DR. MICHAEL ALBERT

MICHAEL ALBERT



## PROOEMIUM.



Ausæ valetudinem turbantes & mutantes non modo innumeræ, sed & multis modis discrepantes sunt, quarum quædam manifeste tristes, adversæ, molestæ & perniciosæ, aliæ vero jucundæ, gratæ & gratiosæ esse videntur, ita ut juxta vulgare proverbium diversi homines magna & multa sub delectatione egestatem, calamitatem, ægrotationem & mortem lucrentur, & qui antea cupiditates expleverunt, posthac fructus laborum & negotiorum suorum, quippe sterilia & futilia Sodomitica mala comedere teneantur; ut alii exclament, in fine videbitur &c. aut ex periculo sapere discant; ast nonnunquam sero tales, in viscera sua grassantes, sapientes sibi persuadent, fore ut in seram senectam tam læta & deliciosa vita sit duratura, quamdiu itaque vita aliquandiu sine offensa transigitur, ut huc

quadret illud ἐνθραίνόμενον καθ' ἡμέραν λαμπρῶς, tunc non pauci futurorum contingentium obliviscuntur, nec cogitant, eos ante fores graves ac intricatos morbos, quid quod præmaturam & acceleratam expectare mortem; quam diu hominibus cibus & potus suavitate & jucunditate palatum afficiunt, deliniunt & delectantur, tam diu meditatio mortis & amara & rara existit. Admirationem certe merentur nonnulli promachi & heroes, qui sat multis annorum periodis strenue cum poculis certarunt, ac in tali militia longius perdurarunt, in quibus hæc facultas potandi & gulositas in alteram transivit naturam; quis non agnoscat æneos velut tales esse homines, quorum vires tanto oneri gestando per diuturnum temporis tractum, præstant. In serie talium causarum, quæ eximia delectatione homines captant, merito annotanda est Venatio, cui communiter magnæ conferuntur laudes & commendationes, ut propterea non nisi in magno fastigio dignitatis & nobilitatis hominibus constitutis hæc corporis exercitatio & animi delectatio adscribatur, quare huic exercitio morales & physicæ, civiles & militares passim tribuuntur virtutes: sic JULIUS POLLUX in *Commodo Cæsare præf. Lib. 4.* inquit: *quoniam te venationum studiosum esse convenit, quandoquidem hoc studium heroicum regiumque est, & ad corporis animique bonam constitutionem confert, estque tam placidæ fortitudinis, quam militaris audaciæ specimen, ad virilitatem utile, & exercitatione reddit robustum, celerem, equestrem, solertem & laboriosum: quare non modo exempla strenuorum potatorum*

torum

torum dantur, qui ad singularem longævitatē per-  
 tingerant, sed etiam specimina & testimonia exerci-  
 tatissimorum & indefessorum venatorum occurrunt,  
 qui seram ætatem assecuti sunt, ut facile quempiam  
 talia individua e particulari ad universalem conclu-  
 sionem & regulam seducere possent: Quam egregie  
 enim laudes venationis, quippe illicis multifariarum  
 delectationum, declamari possunt, si præsentēs amœ-  
 nitates considerantur, aut si amore in eam captus &  
 irretitus, non nisi jucundas ejus qualitates, ut navi-  
 ta de ventis, aut arator de tauris, enarrare solet, ta-  
 men non pauci inde contrarias operationes luctuose  
 experiuntur: non raro enim studium & ardor ve-  
 nandi animum a magis salutaribus deducit negotiis &  
 mediis, donec sanitas insigniter vacillare inchoat, ut  
 fera pœnitentia aliquando irreparabile damnum pe-  
 dissequum habeat: *BELISARIUS de institutione*  
*principis dicit: post militarem disciplinam armorumque u-*  
*sum, post literarum exercitium, rerum publicarum admini-*  
*strationem, nil venatione jucundius, nil delectabilius inve-*  
*niri potest, cujus voluptate homines adjici adeo solent, ut*  
*multi alia majora reliquerint.* Amplificè etiã hoc  
 oblectamentum, multiplici variatione animum atque  
 corpus reficiens, principibus imprimis conveniens  
*LANGIUS Lib. I. Epist. 44. p. 219 sqq.* describit atque  
 commendat; & *Lib. II. Ep. 24. p. 657.* scribit & testatur:  
*nihil magis corpus ad labores & animos ad resistendum bo-*  
*sti corroborat atque venatio: eadem verba repetit Lib. 2.*  
*ep. 59. p. 842.* & addit: *ob id Alexander Macedo, Cyrus alii-*  
*que Persorum reges sedulam venationi & aucupis operam*

*navarunt, non ad saginam corporis, aut ut penum locuple-*  
*tarent, sed ut vires corporis caloremque naturalem, sani-*  
*tatis ergo foverent & roborarent; quo magis autem ju-*  
*cunditate atque amœnitate plena hæc est corporis*  
*exercitatio, ut multæ de eadem laudationes atque*  
*præconia indicari possent, nihilo tamen secius com-*  
*moda æque ac efficax causâ multorum morborum*  
*& præmaturæ plane mortis evadit, ut huc etiam il-*  
*lud PLATONIS effatum de LL. Lib. 7. duci queat,*  
*oportet ut Legislatores, quæ in venatione laudando sunt,*  
*laudent, quæ contra vituperanda, vituperent: habet enim*  
*etiam ille Persarum Rex cujus JOVIUS Lib. V. elog.*  
*p. 165. reminiscitur, imitatores, de quo testimonium*  
*perhibetur: Hysmael Sopby, Persarum rex defatigatione*  
*& labore nimia difficillimæ venationis convulsus paucis die-*  
*bus, ab eo absumptus est: Haud quidem propositi nostri*  
*nervus est, ampliori deductione multiplices utilita-*  
*tes convenientis exercitationis corporis, diversis spe-*  
*ciebus usitatæ significare, quæ communiter sub mo-*  
*tus corporis voluntaria commendatione recensentur,*  
*quarum præter MERCURIALEM, JOUBERTUM,*  
*ALSTEDIUM, COGNATUM multi anti-*  
*quissimorum medicorum, quippe AVICENNA,*  
*GALENUS, AETIUS, & neotericorum numerosi,*  
*uberrimam mentionem faciunt; id tantum generali*  
*annotatione indicamus, quod singularis selectus,*  
*gradus, ordo atque usus, pro varietate subjectorum*  
*cum ejusmodi commotione observari debeat: &*  
*quamvis Corn. CELSUS Lib. 1. cap. 1. oraculi instar mo-*  
*neat, quod Sanus homo varium vitæ genus habere debeat,*  
*modo*

*modo ruri esse, modo in urbe sæpiusque in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere: siquidem ignavia corpus bebetat, labor firmat: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit, tamen alius modus exercendi corpus iis qui saga, alius qui toga, qui in politicis aut civilibus, & qui in militaribus, qui in regiminis & scientiarum negotiis operantur, conducit, ut propterea de Musarum cultoribus SENECA disse-  
rat Ep. 15. *Stulta est, mi Lucili, & minime conveniens literato viro occupatio, exercendi lacertos, & dilatandi cervicem ac latera firmandi sint exercitationes & faciles & breves quæ corpus & sine mora laxent & tempori parcant. Dan-  
dum est aliquod intervallum animo, ita tamen, ut remittatur, non resolvatur: quicquid facis, cito redi a corpore ad animum; illum diebus ac noctibus exerce, qui labore modico ille aliter.* Medici itaque officium requirit, quo congruas & sanitati imprimis ministrantes exercitationes corporis commendet, quæ ætati, temperamento, viribus &c. subjectorum conveniunt, dum vicissim veritati etiam consonum est SENECAE eloquium Ep. 124. *quod nullam salutis spem habeat æger, quem ad intemperantiam medicus hortatur: Quoniam itaque modera-  
ta durabilia sunt, nec ad exempla plurimorum aut rarissimorum vivere juvat, sed in medio tutissimus esse experientia edocet, ita inter alias exercitationum corporis species Venationis damna & sanitati præcipue adversos usus atque effectus brevi explicatione indicare, præfenti ideo inaugurali specimine de VENATIONE MORBIFICA agere constituimus, cui conatui, ut cœlestis annuat benedictio, in ostio hujus tractationis humillime precamur.**

§. I.

§. I.

**V**enationem sua *commoda* suaque *incommoda* habere, ac pro *diversitate* usus & exercitationis modo fructuosam, alibi perniciosam esse, quotidiana testantur exempla & medicorum suffragia: huic præliminari assertioni assensum præbet GALENUS in libell. de exercit. parv. sphaerae, dicens: *Et sapientes Et naturæ humanæ probe illi periti fuerunt, quicunque venationes Et alias animalium capturas primi omnium adinvenerunt, laborem, qui in illis est, voluptate oblectatione laudisque cupiditate linientes Et temperantes: adeo enim potentes sunt, quæ in id genus exercitii contingunt, motiones animi, ut multi morbis sæpe liberati, ea delectatione fuerint; multi rursus ex nimia conturbatione in morbos inciderint: Quemadmodum enim hæc species exercitationis perquam laboriosa, non raro etiam ardua & periculosa est, ita tamen sub reliqua moderatione & præcautione varia inopinata superveniunt accidentia, quæ delectationem e venatu expectandam admodum pervertunt: ob id GRATIUS de Venatione p. 4. testatur, quantum venatio oblectamenti promittit, tantum etiam detrimenti offert, quia sanitati multa contrahit nocumenta: huc referimus RAMAZZINI effatum in Supplem. de artificum morbis cap. XI. p. 682. de Venatorum morbis: Venatio, inquit, exercitationis genus est, quod non unam tantum corporis partem, sed omnes simul exercet: ut ex Galeno; Venatori enim necesse est deambulare, currere, saltare, modo erectum, modo curvum stare, vociferari etiam, summatim omnes corporis partes exercere idque modo vespertinis horis, modo per noctem, modo per hyemem, sub cælo pluvio ventis perflato, cor-*

*pus male plecti & defatigari necesse est, sicque ad varias ægritudines disponi, quales plures dein recenset. Si itaque inter laudes ac utilitates atque damna & offensas Venationi tribuendas comparationem instituire placuerit, sane major numerus eorum, quibus illa morbifica & mortifera facta, quam reliquorum, quibus salutifera & Longævitatis causa reddita fuit: Haud quidem in seriem illorum perniciosorum successuum & effectuum præsentii tractatione illos tragicos casus referre lubet, quando ex venatione quidam collum luxarunt, ossa fregerunt, ut in plebejo proverbio audit Halsß und Bein brechen, aut præcipitati sunt, rupturam aliquam lethiferam passi, sie haben sich etwas zersprengt, periculosas contusiones capitis, dorsi &c. susceperunt, oculi jacturam subierunt, sie haben sich ein Aug aus den Kopf gestoßen oder gefallen, aliam luxationem vertebrarum dorsi, femoris, tarfi, genuum, carpi, humeri valde ominosam sibi contraxerunt, aut quando æferis vulnerati alioque modo læsi sunt; quos fortuitos casus ab aliis sinistris venationis successibus & effectibus adhuc separatos habere volumus; id autem præsentii themate indicare placet, quales sanitati & vitæ præjudiciosos & perniciosos effectus ipsa venatio in reliqua libera & communi sua exercitatione causetur: Venatio itaque illa laboriosa ac strenua occupatio hominis est, qua sub multiplici vicissitudine, diversa videlicet commotionis corporis specie, ac variante gradu illius feræ investigantur ac captantur, sub quo labore ac strenua contentione nunc equitando, modo currendo, alibi intensius ambulando, mox saliendo & insultando, ut plurimum persequendo &c. homines eximie fatigantur; adeo ut qualibet species venationis tot motus*

corporis *varietate* absolvatur; quare illa corporis exercitatio respectu vel *subjecti*, vel *modi*, vel *gradus* facilis, frequens & efficax *causa* provocandi *morbos* existit, quæ pro discrepantia Subjectorum præcipue nunc citius & gravius, nunc tardius & lenius ad ipsum morbificum effectum contendit. Quoniam itaque hæc exercitatio facile ob conjunctum, aut *præsumtum oblectamentum* assensum allicit & *seducit*, consecutiones autem sæpissime *minus* acceptæ & magis *morbificæ* esse solent, ideo præsentis tractationis titulus satis perspicuus reliquæ deductionis argumentum exponit, ut cum notionibus, quoad *grammaticam* analyfin nec in mari venari, nec in aëre piscari necessitas postulet; quæ enim ad *medicum* forum spectant, illa peculiari respectu hac tractatione observari & annotari merentur.

§. II.

Venationem *Medicam* explicantes, qualem peculiari libello BALDUINUS RONSSEUS edidit, in *opposito* respectu indicabimus, quales *morbi ab eadem* certis sub circumstantiis metuendi veniant, ut indirecta applicatione colligere dein liceat, qua *moderatione* & præcautione venatio exerceri debeat, quo *vitæ* & *sanitati* proficiat, minus autem officiat: Mirum quidem non est cur *rarius* venatores *mercenarii*, aut qui cum venatione quæstum capiunt, seram assequantur senectutem, dum plurimi tales præter confusum & *irregulare* vivendi morem, gulositati dediti *corruptis* plane destruantur morbis, id autem curatiorem meretur attentionem, quo subjectis *altioris* fastigii & *dignioris* sortis, non monitoribus asperis, *consilia* rectius, quam mandata *salusaria* suppeditentur, quibus

quibus ad *securum* & *sanitati* utile venationis exercitium frui possint. Est itaque venatio species exercitationis corporis, quæ *Principibus* imprimis familiaris est, quam RAMAZZINI *de Principum valetudine tuenda cap. 6.* admodum commendat: *quædam sunt exercitationum genera, ipse inquit, quæ principibus magis sunt propria, uti venatus, saltatio, equitatio, ex quibus multa beneficia obtinerent, si frequentius iis uterentur. Venationis studium antiquitus ab ipsa juventute Principibus satis familiare fuit, ut illis pudori esset, nisi arcum tendere, feras insectari, sagittas ad scopum collimare exacte nossent, atque hac in re cæteris præcellerent* - - porro addit: *cum ergo venatus multa habeat commoda, magnoque sit oblectamento, id præcipue monumenti habet, quod ad sanitatem multum conferat, sive enim equitando, sive pedestri itinere per loca aspera & prærupta feras scrutando, corpus variis motibus exerceri necesse est, & incalescere, ut quæ aliquam gravitatem capiti, Stomacho ac visceribus inferebant, facile per transpiratum diffentur.* Quoniam autem Principes plurimum venationes *equitando* instituunt, ideo huc congrue referri & recenseri possunt illa *incommoda*, quæ sub venatione ex *equitatione* vehementiori iisdem accidere possunt & solent, qualia idem author p. 738. hisce verbis commemorat: *equitatio tamen habet etiam sua incommoda; ubi enim adsit aliqua dispositio podagrica, aut nephritica (qualis certe in Principibus rara esse haud solet) & vesicæ affectio, non parum noxia est; quare HIPPOCR. in Lib. de aëre, aquis & locis agebat, Scythas ischiadi obnoxios esse, quod super equos quotidianam agerent vitam; infæcundos quoque homines ex nimia equitatione fieri ibid. asserit Hipp. ex ni-*

*mia scilicet renum & vasorum spermaticorum concussione, ut etiam hanc ob causam orientur aliquando Gonorrhœa: Si tamen equitatio moderata sit & placida &c. Ast dum talis temperata equitatio cum venatione simul stare baud valet, quoniam feræ non tardo aut lento gressu ante venatorem incedunt, sed celeri cursu fuga se salvare nituntur, nisi insidiis eas circumvenire soleat, ita etiam ut plurimum equitatio intensior ac celerior esse solet: Et quoniam regionibus ac incolis & subditis valde interest, quo Principes sani, salvi, integri & viribus animi atque corporis strenui ac præstantes sint, ita multum etiam refert, quo medici convenientia & salutaria ferant consilia, quibus videlicet hæc exercitatio corporis per venationem salubris dijudicanda, qualis etiam venationis species atque moderatio commendanda veniat: Si enim feræ ante sclopeta congregantur & compelluntur, ut non nisi trajectio necessaria sit, tunc hic modus captandi feras, vix venationis titulum meretur: Sub vera autem venatione variæ circumstantiæ ac mutationes obtingunt, quæ sanitati parum subsidii promittunt: Huc præcipue spectat strenua & sæpius nimia commotio corporis, vehemens ad & inspiratio aëris, magna exæstuatio corporis, & ebullitio sanguinis, nimia oppletio pectoris, multiplex variatio qualitatuum naturalium frigoris cum æstu, crebræ injuriæ aëris frigidi, crassi, densi, humidi, nebulosi, sylvestris, multiplex mutatio cibi & potus, motus & quietis, somni & vigiliarum &c. & quis sub tali ardore & oblectamento prosequendi exagitatam feram regulas dieteticas & leges sanitatis stricte observet, nisi flagrans hæc delectatio sui ipsius recordationem deleat.*

§. III.

*Subjectorum* qualitates & conditiones quod attinet, quibus facile Venatio *morbifica* evadit, & quæ propterea eodem *singulari* moderamine & circumspectione uti debent, tunc in *revera juventute*, nec non in alia *lubrica* imbecilla gravi & consummata ætate constituti homines, præterea corpore flexibili, gracili, *tenero* & *sensibili* præditi asperæ & *strenuæ* venationi se concedere non debent; nam sub spe *acquirendæ firmitatis* & roboris corporis, wann man sich abhärten und starck machen will, facile sub venatione talia celeri invasione accidunt incommoda, quæ priorem spem decollant atque eludunt: superioris autem ætatis & in *senectute* constituti homines, nec *fortes* tales corporis motus, nec reliquas *molestias*, quas *inseparabili* nexu *comites* habet venatio, facile perferre possunt, quoniam ad hanc laboriosam atque *gravem* corporis exercitationem consistentia latera & *robusti* lacerti requiruntur: teste MERCURIALI *de arte Gymnastica Lib. VI. cap. 13. de venationis conditionibus p. 387. omnibus hanc exercitationem inire capientibus necessarium erit diligenter considerare, an corporis robore polleant, in culpaque sanitate fruantur: secus, ne gravissima pericula sustineant, jure dubitandum videtur:* & paulo ante p. 386. *neutra* sive equestris s. pedestris venatio, quod *veementior* existat, *senibus aut debilibus accommodata* invenitur, *sed illis tantum, qui robustas omnes corporis partes sortiti sunt, quique optime valeant, ut non absque judicio summo* Corn. CELSUS *Lib. 1. c. 1. dixerit: sanum hominem & bene valentem modo navigare, modo venari debere &c.* utut autem *seniores* ob *compactum & rigidum* corporis

habitu*m induvati*, insuper ad molestias *aëris & regiminis*, quas venatio pedissequas continet, firmiores *videntur*, tamen *virium* robur, præstantia, præsentia & continuatio in iisdem *deficit*: Proinde subjectis, quibus sub reliqua bona & *apparenter* vigorosa ætate *viscera* sunt *infirma*, ac *cerebrum* præcipue *debile*, vel ob *connatam* qualitatem, vel ob *indulgenter* tractatam educationem, vel ob prægressam *adversam* valetudinem, *strenua* hæc commotio *haud congrua* & proportionata existit: venatio enim requirit *berculeum* cranium ac firmos humeros: nec schola hæc venatoria ad *majorem* firmitatem acquirendam, quia nimis *vigorosa* & coacta existit, *secura*, conveniens & probata est: sub hoc enim *fallaci* experimento atque specimine plurimi *succumbunt*: etenim omnes rerum atque circumstantiarum vicissitudines, quæ sub venatione occurrunt, quoad Sensum & motum aliquem *majorem* postulant *renisum*, quo duræ illæ tractationis perferri, imo superari possunt, qui vero in illis *debilibus* subjectis nec inveniendus, nec facile conciliandus, ad minimum alio, eoque *leniori* & moderatiori modo comparandus & acquirendus est: Quæcunque præterea Subjecta *flagrante* temperamento, insimul turgente & urgente statu *pletborico* prædita sunt, quibus affluxus sanguinis & humorum ad *pectus & caput* largior, vehementior & frequentior est, quæ subinde in prodigas ac impetuosas hæmorrhagias sive *navium*, sive *Hæmoptysin*, sive *Hæmorrhoides*, sive *cruentam mictionem* valde inclinant, quales *intensior* commotio *animi* & corporis, tanquam *inseparabilis* venationis qualitas, una cum reliquis *aëris* eximiis & sensibilibus mutationibus facile & strenue excitare solet: quibus pro-  
pterea

pterea hæc exercitatio admodum ominosa & citius perniciofa existit, ut *fatalis* hic successus priorem delectationem nimium quantum corrumpat & destruat: Accedunt *illa* etiam Subjecta, quæ *catarrhosis* humoribus abundant & erebris fluxionibus e *capite & pectore* pituitosis obnoxia sunt, welche sehr flüßiger Natur sind, quippe quæ ex eadem commotione corporis *fortiori* & conjuncta *exæstuatione* præcipue sub *aëre frigido & sylvestri*, aut flante *orientali*, vel *septentrionali* vento, ut & sub *variabili* tempestate facile in graves & pertinaces affectus *catarrhales* & interdum simul conjunctos *rheumaticos* incidunt, qui pro *gravitate* causæ & *sensibilitate* personæ eo *acerbiores* ac curæ medicæ magis resistentes sunt. Notanda etiam *talia* sunt subjecta, quibus *collum abbreviatum* & *pectus angustum* atque depressum est, quibus *arctior* superioris regionis structura ordinariè laboriosam atque *difficilem* respirationem connexam causatur, unde *ille gradus* motus, quo venatio exercetur, illeque status aëris, dum *inzensus* ac plenius aër *frigidior* intra *exæstuatos* pulmones inspiratur, varia *pectoris & colli morbosa* incommoda provocat. Quæcunque etiam subjecta facile & valde *Spasmis* obnoxia sunt, quippe arthriticis, rheumaticis, ischiadicis, nephriticis, aut colicis, insuper autem ad *fortiores* motus corporis & instabilem aëris qualitatem perquam sensibilia sunt, iis venatio *strenua* admodum *inensa* evadit, dum *subita* illa mutatio, *amplior* videlicet pororum cutaneorum apertio & alternans eorum oclusio ac *constrictio* arduos illorum spasmodicorum affectuum *recursus* invitare & accelerare solet.

§. IV.

Huic Classi Subjectorum, quibus venatio cum concomitantibus suis circumstantiis *morbifica* facile redditur, *illa* porro annumeranda sunt, quæ sub lauta & *generosa* diætâ celeriter eximias sanguinis *ebullitiones*, haud *malo* omine vacuas experiuntur, *welche sehr flüchtig und wallendes Geblüt haben*, unde levi processu atque influxu repentini, *acuti* & periculosi morbi ortum capere solent: & habent omnino illa subjecta maximam causam, quo eximia cum *circumspectione* venatione utantur; quæ nunquam *Variolas* sunt experta, his etiam efficacissima illa causa est, quæ eas non modo *accelerare*, sed & *maligniores* & *periculosiores* reddere potest, quando tam repente & vehementer illud miasma, quod hætenus in corpore quietum latitavit, *commovetur*, aut plane e sanguine, *pingui lymphâ* abundante, *fortiter* commoto *generatur*, excitatur & in *morbificum* effectum præcipitatur. Quando ulterius quædam Subjecta vel *proximius* in *calculosos* affectus propendent, vel jam *actu* illis laborant, tunc a venatione plane *abstinere* debent, quia hæc cum suis connexis proprietatibus & vicissitudinibus ad excitandos & exacerbandos illos affectus aptissima est: ejusmodi enim calculosa subjecta ad intensiores corporis, aëris mutationes & minus clementes qualitates, nec non ad leves etiam diæreticos errores valde flexilia & sensibilia existunt, quibus diversis modis venatio cito & facile inimica redditur: Si quæ etiam Subjecta in facultate *generatrice* tenera & debilia, nec e profapia *fecunda* nata sunt, insuper in *genitalibus* partibus *sensibilia* æque ac *infirmâ* existunt, iis *crebra* & *strenua* equitatio, quæ celsioris stemmatis personis

sonis sub venatione usitata est, etiam in negotio generationis grave accersit offendiculum, earumque partium, *vigori* magnum *decrementum* & impedimentum affert. Quæ subjecta, præter hæc attributa, facile aliis arduis & præcipitibus commotionibus sanguinis *congestoriis, inflammatoriis, erysipelaceis, febrilibus* &c. obnoxia sunt, illa multa cum *moderatione* & circumspectione venationi operam dare debent, quia *strenuæ* illæ commotiones singulos illos affectus sub concursu *variabilis aëris* & *diætæ* facile revocare possunt & solent. Quæcunque subjecta *salutarium* & præcipue *periodicarum* excretionum privilegio ac beneficio instructa sunt, velut liberi, placidi, spontanei & *temperati* fluxus *Hæmorrhoidum*, aut *Sudoris annui*, illa *caute* venatione uti debent, ne *immodicus* motus corporis, *aëris* injuria & *intemperies*, minusque *selecta* diætæ *congruo* ac legitimo *recursui* earum excretionum grave *præjudicium* conciliet: etenim non raro talia testimonia passim observantur, quam sæpe hoc beneficio ob incultas & arduas *peregrinationes*, strenuas expeditiones *bellicas* & immodicas *venationes* multi homines *destituti* fuerint atque privati: quam salubres enim sub prædictis qualitatibus illæ evacuationes sunt, tam delicatæ atque mutabiles etiam existunt, quas sæpe *venationes turbant*, indeque posthac vexatissimos morbos provocarunt. Quodsi etiam nonnulla Subjecta *singulari* quadam dispositione *hæreditaria* instructa fuerint, quæ in personis *illustris* stirpis valde frequens est, & pathemata gignit, quæ vocantur *Geschlechts, Ahnen und Familien Zufälle*, quæ autem in descendente linea ut plurimum in fonticas *ataxias* degenerant, adeoque in subjectis quibus inhærent, valde

*leniter*, indulgenter & *temperanter* tractari volunt, tunc talia *adversa* valetudinis, aut imbecillitatis schemata, in *alteram* velut naturam conversa, proinde etiam perquam intricata & irregularia *consuetis* venationibus irritanda & offendenda haud sunt, quæ talem metuendam *exacerbationem* facile iterum provocare possunt. Et quid dicamus de venatoribus, *Podagræ* ostia intrantibus & in atrio hujus constitutis, vel jam sacrificia & martyria ejusdem offerentibus & subeuntibus? quicumque illorum venando & equitando vexatissimum hunc affectum cum feris fuga dispellere conantur & sperant, haud genuina, securata atque certa amplectuntur consilia, *præceptis* enim atque *impetuosa* venationis lex & norma, *aëris* manifesta *inclementia*, *dietae* ac *regiminis* reliqua *turbulenta* conditio efficacissima *podagræ* sunt *incitamenta* & nutrimenta: quid quod rationi & observationi medicæ comprobata veritas est, venationem certissime ac citissime *podagram* aut in valde *perplexum* statum conjecisse, aut prompte in *internas* regiones atque viscera æquali venatione transfulisse & ominosa *retropulsione* in maxime *confusum*, insuper autem vitæ & sanitati valde præjudiciosum statum præcipitasse.

§. V.

Principales quasdam Subjectorum qualitates significavimus, quæ Venationis exercitium *ægre* admittunt, quibus plures addi possent, ni reliqua tractatio sparsim & *implicite alias* illarum indicet; Nunc vero *præcipuas* quasdam *causas* annotabimus, quæ *sub* & *ex* venatione ad sanitatis læsionem & morborum provocationem aptissimæ & efficacissimæ sunt: Plurimum cæteroquin in *salu-*  
*tari*

*zari* Venationis commendatione & prædicatione *motui* corporis tribuitur: aſt quoniam nec quælibet commotionis hujus *ſpecies*, nec quilibet *gradus* illius, cuiſibet quadrat, ideo *comparate* ſane pauci ſunt, qui *talem* corpus exercendi *modum*, ſine *incommodo* perferre poſſunt: Quod enim illos *gradus* motuum attinet, qui ut plurimum ad venationem requiruntur, tunc *ille modus* venandi, quo quidam certis locis atque tractibus *clanculum* feris ad- & tranſeuntibus inſidiantur, non quidem laborioſus, attamen generoſis venandi artificiis vix accommodatus eſt, ni placuerit alicujus perſonæ & viribus parcere, eidemque quietam *talem* & occultam venationem adaptare, ut aves ante oculos & feræ ante oſtia ſclopetorum pellantur & alliciantur, id quod etiam contingit, ſi quædam feræ certa eſca, ipsis magis accepta & deſiderata, tanquam aliqua illectatione congregantur & alliciuntur, ut quietæ, tacita & *clandestina* quædam venatio, *baud* facile *noxia*, inſtituatur: Ubi viciffim venatio, *eminenziori* ſenſu ita dicenda, exercetur, ut animalia ſylveſtria in libero ſuo volatu, curſu atque tramite venator perſequatur, tunc motus corporis aut currendo, aut equitando fugæ ferarum gradu & tempore reſpondere debet: Et hæc illa ſpecies atque intenſio motus eſt, quæ ut plurimum modum *ſuperat*, imo plane *excedit*; quando videlicet omnes ferme *fibrae* motrices *auctiori* gradu motus inſtruuntur, omnia *organa* fortius concutiuntur, omnes *nervi* validius intenduntur, & omnes humores in toto corpore intenſius & vehementius exagitantur: Et quæ non extreme motuum augmenta in hominibus, equis, canibus & feris ſub venatura illa *præcipitata*, *coacta* atque violenta par force oc-

currunt, quæ nec illis, nec his *ullo* modo salubria, vel ullo apparent intuitu: quare aut *eximius* ille, aut *extremus* hic motus animo & corpori *absolute perniciosus* est: admirationem sane meretur, quando a tali *festinatione* vel paululum remittentes homines, equi & canes venatici toto corpore tremunt, vix aërem inspirando excipere possunt, distentis ac amplissimis naribus, celerrima lumborum contractione & dilatatione, magna effumatione corporis, spumescentis sudoris effusione atque inundatione maxime flagrantes & quasi accensi apparent: quis autem rerum medicarum etiam plane ignarus *talem* statum vitæ *innocentem*, ne dicam salubrem vocare posset? cum *quilibet impetuofus*, nimius & strenuus talis motus corporis *multis* effectibus *noxius* sit, quod tanto magis de illo velocissimo & *precipitato* gradu valet: qui itaque multum in talibus sunt venationibus, multum etiam vitæ sanitati & viribus suis *damni* & *periculi* afferunt. Omnibus subjectis *moderatus* gradus commotionis corporis confert: *simultaneus* contra, *præceps*, impetuofus & coactus in omnibus hominibus & animalibus *vires* destruit, corpus *veloxat*, distendit & enervat, humores nimium *resolvit*, necessaria sua humida & fluida materia depauperat, vasa & canales nimium *expandit* atque dilatat, *majora* eorum nimium humoribus opplet, *minima* autem obstruit, *tenera* illorum dirumpit, *crassa* suffarcinat, adeoque omnibus modis atque subjectis *perniciem* incutit. *Venari* enim & *remissus* se commovere sunt ferme *contraria*; ideo *robustissimus* & *athletica* sanitate instructus esse debet homo, qui *sine ulla* offensa iteratam, ne dicam admodum crebram venationem tolerare & superare potest: Omne  
*nimium*

*nimum* hoc etiam exercitio vertitur in *vitium*, nec facile sub venatione *modicum* servari & observari potest; tanto minus, cum alioquin strenui venatores in aliis humanis suis negotiis moderamini studere solent. Tam accelerata, tamque vehemens *organorum & humorum* commotio & impulsio *salutares* effectus habere non potest: *cordis* motus, quoad communem æstimationem in vitali œconomia *principalissimus* sub venationis prosecutione ita rapidus est, ut sensus, quasi *cor* in thorace *volitet*, & omnes fibræ fremente & tremulo motu subsultent percipiatur; quid autem *boni* præfagii inde formare liceat, si talis motuum augmentatio & præcipitatio corpus afficit & offendit: quæ immoderata eaque efficacissima subinde autem prima causâ est, ad sanitatem labefactandam & morbos convocandos ad modum idonea.

§. VI.

Altera Causarum, Venationem *morbificam* reddentium est, inclementia, *intemperies* & injuria *Aëris* & quæcunque incongruæ & mutabiles qualitates illius *sanitati* facile *præjudiciosæ* evadunt: Venatio enim *bene matutinas*, aut aliquando *vespertinas* horas, ut plurimum tempestatem *frigidiusculam* postulat, quibus temporibus atmosphaera *multis vaporibus* densis & gravibus onerata & op-pleta deprehenditur, quos diurna temperies dispergere & resolvere adjuvat: ideo horæ & *tempora*, quæ *venationibus* favent, haud sæpe singularem *puritatem* & serenitatem atmosphaeræ promittunt: Et licet unus præ altero homine ad aëris *injurias* perferendas aut *sensibilior*, aut *durior* existat, tamen non absolute illius vim *alterantem* excludit, dum ne quidem metalla & lapides illæsa sub

aëre permanent, quare in uno *plus & citius*, in alio *tar-*  
*dus & lenius* aëris intemperies *morbificam* alterationem  
causatur: & quamvis nonnulla media *præservativa* con-  
tra aëris injurias adhibeantur, a venatoribus vilioribus &  
inferioribus, aquæ adustæ aut *spiritus ardentes*, quales  
utplurimum *largiori*, quam *proficit*, copia ingurgitant,  
aut cerevisiam calefactam, pinguefactam, piperatam aut  
culinaribus carminativis combinatam, vel aliis similis  
qualitatis; a dignioribus autem venatoribus, juscula vi-  
nosa, decocta calida, ne Succoladæ quidem decocto ex-  
cluso, usurpentur, aut compendiosum jentaculum adhi-  
beatur, sub spe & persuasione, ac si aër majorem vini  
insufficientem & offendentem haberet, ventriculo *jejuno*  
existente, quam si modico, eoque *pinguiori* victu imple-  
tus fuerit, tamen hæc media in tantum, sed *non in totum*  
offensiones externas declinant. Aër communiter illis  
occasionibus *crassus*, gravis, densus, humidus, *sylvestris*,  
& multis *effluviis*, non omnimode balsamicis, sed plus  
*inquinantibus* refertus est, qui per *varia ostia* corpus in-  
trare, idque variis modis *alterare* potest: quo magis ita-  
que sylvæ spissæ, loca humida & paludosa, tempestas fri-  
gido-humida, aut nubila & pruinosæ est, eo magis aër cor-  
pora afficit & sanitatem offendit: & quid salubritatis in-  
de promittendum, aut expectandum erit, si sub strenua  
& festinata venatione, insuper etiam concurrente inten-  
siori *respiratione*, majore *pulmonum* cum sanguine opple-  
tione, auctiori hujus *progressione*, fortiori *exæstuatione*,  
venatores intra exæstuatos pulmones talem aërem den-  
sum, frigidum, humidum, impurum &c. alacrius, crebrius  
& plenius inspirant, quæ inde commoda partim in spira-  
culo

culo *navium*, *infundibuli* & *sinuum* capitis, partim in *ore* & *pulmonibus* & sensibilibus & firmioribus promittenda & expectanda erunt commoda? Quamvis etiam metum de minus secundis successibus & effectibus persuasio illa aliqua spe sedare, sopire, emollire & erigere nitatur, quod conjunctus motus corporis & *auctior* transpiratio & sudatio *impuritates*, ab atmosphæra exceptas, brevi intervallo denuo iterum expellat & ab intimis corporis removeat, tamen nullus facile vadem se promittere potest, quod interea in *prædictis* partibus & regionibus eadem aëris qualitas, idemque modus respirationis non fonticas offensiones excitaverit, quæ *principaliori* relatione alio processu, quam sudatione tali corrigi & emendari debent: Quodsi etiam præter has considerationes *individuales* circumstantiæ concurrerint, velut *generalis* æque ac erga *tolerantiam* aëris *specialis sensibilitas*, *succulentus* habitus corporis, *porosa* constitutio illius, humoribus eminenter *oppletum* pectus, sanguis valde *biliosus* ac subtilis, tunc commotio sanguinis ac facilis *exæstuatio* in talibus Subjectis obtingens, alterationi extrinsecus ab *intemperato* aëre proveniente, non diu resistit, sed facile perinde ab hac mutatione offenditur, quoniam qualitates *oppositæ* in homine citatiorem & potentio rem violationem causantur: proinde autem *adsuetudo* hujuscemodi *injuriosi* aëris perquam *limitata* variisque *discriminibus* obnoxia est, licet actuales & *graves* morbi non ita *confestim*, ut in *minus* consuetis ingruant, nihilominus etiam *suo tempore* firmiores & robustiores homines *aliquales* sanitatis offensas *firmiori* licet tolerantia sustinent.

§. VII.

Seriem *Causarum* sub & ex Venatione *morbificarum* ingreditur turbulenta ad minimum *incongrua Dieta*, quæ in *Sylvis*, in *domiciliis* atque tuguriis sylvestribus & *venatoriis*, interdum sub diu & in tabernaculis *raro* ordinata & circumstantiis temporum & occasionum *conueniens* esse solet: Si enim venatores laboriosa ac *strenua* corporis exercitatione *exæstuati*, sudore & udo corpore, *fumantes* & *madidi*, insuper valde *delassati*, paululum spiritum colligunt, non raro intrinsecus velut *flagrant*, extrinsecus autem, nisi mature sudore madefacta indusia, cum sicca subucula congruo etiam, nec frigido, nec uvido immutent loco, *molesto* perfunduntur *horrore*, post parvam requiem appetitu cæteroquin vegero adventante & postulante, plenis interdum buccis cibum ingerunt, huncque in *ventriculum* ob prægressam nimiam commotionem æque *enervatum* transferunt, quid quod *citatiore* modo ciborum ingestionem abbreviant, ne quicquam temporis venatoriæ occasione & delectationi decedat, moxque eandem scenam venatoriam ludunt atque continuant, quid quæso commodi pro sanitate e tali diætâ venatoria promittendum & expectandum fuerit: Sane si quis Giganteo robore & athletica sanitate præditus fuerit, a tali modo assumendi victum alterationem non in bonam, sed *adversam* magis partem experietur: quid inquam bonæ spei supererit, si intra ventriculum antea *ebulliente* sanguine in tunicis suis oppletum & *oneratum*, nunc autem *delassatum*, fervente licet appetitu cibi deferuntur; qualis inde aut speranda aut metuenda erit concoctio & boni succi alimentosi præparatio? Certe inde non nisi pessimæ  
*crudi-*

*cruditates*, ventriculum magis aggravantes, intestina molestantes, atoniam inferentes, flatulentias causantes, primas regiones inquinantes, excretionem turbantes, aliaque lerna malorum expectanda & observanda erunt: *tumultuaria* hæc concoctio non raro illos decipit, qui viribus suis plus, quam par est, tribuunt, subinde autem illis *abutuntur*, quæ gloria haud *diuturnam* promittit durationem: Et quid de *quantitate* ac *qualitate* cibi seorsum dicendum erit? quando viscera *enervata* partim *multo*, partim *duro* & dyspepto victu opplentur & aggravantur, si *acida* subtili diæta venatoria *avidiori* appetitu & *pleniori* copia ingeruntur, quæ chylum & cruditates magis incrassant; si dulcia, refrigerantia & fermentantia libere, liberaliter & indiscrete assumuntur, quæ cum *bile* commota, *turgescit* & *largius* ad intestina delata pessime conveniunt, ideoque facile acres alvi fluxus, morbos diversos biliosos, colicam & febrem talem sat gravem atque periculosam excitant: *Potus* usum varium quod attinet, tunc *modus* illo utendi, ut & *quantitas* & *qualitas* illius incongrua sæpe variorum morborum causa evadit: etenim si *siccanti* lingua ac pleno ore arido, calido & madido corpori potus affunditur, tunc gulosa & *larga* talis ingestio *salubris* esse *minime* potest, eo certius autem *perniciosa* redditur, si *frigida* fuerit, quæ *subitaneas* & graves alterationes causatur: nisi enim exacte sibi *moderari* sciant cum potu venatores, facile inde grave *damnum* experiri solent: & sane necessitas postularer, ut principes quotiescunque venatum proficiscuntur, aut archiatros suos in comitatum ducant, aut confiliorum salutarium illorum curatius reminiscantur atque illis auscultent: enim vero vel unicus interdum *inopportunos* & inconveniens haustus brevi consequentis *mortis* causa

evadit: quam circumspicte etiam inter venandum vel ipsæ *limpidissimæ* ac purissimæ scaturiginum sylvestrium & montanarum aquæ, tanto magis *vinum*, vel *alia spirituosâ* potulenta haurienda sint, circumstantiæ variantes & vicissitudines, venationibus familiares, comprobant & indicant: Singularem etiam attentionem meretur, si sub strenua venationis prosecutione non modo *vires* valde *dehassantur*, sed etiam sub *fervidioribus solaribus* radiis *corpus* nimium *exæstuetur*, insuper autem diuturniori *inedia* ac longiori *siti* illæ valde exhauriuntur, posthac autem flagrante appetitu tales venatores cibum & potum capiunt; qui *modus* ingerendi victum *non temperatum* succum alimentosum, nec bonam *concoctionem* promittit, quin rectius in subjectis ventriculo *sensibili* præditis, varia hujus & connexarum regionum *incommoda* causatur: *ars enim venatoria* recte monente RAMAZZINI *l. c. de morb venat. p. 684. eorum est*, qui *duro de robore* nati sunt: imprimis etiam organa *concoctionis firmiora* & præstantiora possidere debent: si contra in *primis regionibus imbecilliora* fuerint, intricatos *ventriculi* affectus, cardialgias, flatulentias, vomitus, asthmata stomachalia, febres, intermittentes, lentas & plures alios morbos sibi accersunt.

§. VIII.

Præcipuis hisce ad morbificam venationem conferentibus causis diversæ adhuc aliæ annecti possent, e quibus tamen nonnullæ in *Subjectorum* explicatione traditæ, quædam etiam in reliqua deductione proponendæ sunt: quare in ordine jam *Morbos* illos recensebimus, quos *strenua, vehemens* ac operosa talis venatio excitare solet. Discrepant autem tales ægrotationes quoad *Subiecta, loca, tempora* & prædictarum qualitatum atque *causarum* speci-

specimina & discrimina. In hac morborum commemoratione iterum *selectum* servare placet: a *Capite* primordium capere lubet: in memoriam vocamus *l. c. p. 385.* MERCURIALIS effatum: *quod vehementibus exercitationibus a medicis attributum reperitur, neque venandi labor cavere videtur, ut scilicet caput offendendi vi polleat, maxime si importune efficiatur: quemadmodum IV. de oculorum victu ap. Galenum legitur: ideo per familiares quam sunt Cephalalgia & quidem in subjectis floridioris & plenioris sanguinis, acutæ, quæ partim nimia vasorum oppletione & distensione, ut & turgefactoria sanguinis commotione nituntur, unde partes membranosa & nervosa valde compatiuntur: quando itaque in talibus personis impetuoso quodam motu sanguis semel impulsus est, tunc difficilius est, quod modo in ardente velut ebullitione consistit, facile sedare & temperare, inde in nonnullis concurrunt aut vana molimina hæmorrhagica, aut actuales cruentæ eruptiones e naribus, quæ iterum communiter haud tranquillæ & modicæ, sed magis coactæ & prodigæ, indeque etiam ægre salubres sunt, quæ certius alias congestorias & oppletorias molestias pedissequas habent: concurrunt nonnunquam chronici affectus vertiginosi, aut acuti hemicranici, animum & caput valde affligentes: huc justa connexionem commode applicari potest assertum SENNERTI *Instit. Med. Lib. IV. Part. I. cap. 4. exercitium sub Sole* (quale nonnunquam venando committitur) *corpus plurimum calefacit, humores fundit & movet atque his, qui caput debile aut plenum habent, summe est noxium*, proinde etiam aliquando oculorum & visus labefactiones & perturbationes complantur, dum oculis aut scintillulæ, aut nebulæ, aut punctula, aut aliæ miculæ obversantur, quæ impostero*

gravioribus sollicitudinibus ansam præbent. In quibusdam subjectis sanguine valde abundantibus, *fortis* ac vehemens venatio ad insultus *hemiplecticos* & *apoplecticos* disponit, quo quælibet prædictarum generalium causarum vires ac influxum suum contribuit: nec desunt testimonia eorum, qui ob nimiam commotionem & *exæstuationem*, aëris etiam aut *venti* adspirationem, concurrente insuper intensiori *vociferatione* aut clamore gravibus *ophthalmiis* & *otalgiis*, ut & periculosis *anginis* correpti sunt. Hisce *capitis* affectibus, a *venatione* provenienti- bus, annumerari merentur varii *catarrhorum* gradus, si- ve in strenua *fluxione*, si ve contumaci *stagnatione* atque infarctu consistant, quæ posterior in subjectis, quibus larga & *viscida* pituita massæ humorum intermixta est, ob nimium sanguinis *impulsum* & aëris atque venti *frigidi* afflatum facile contingere solet; præterea venatoribus *Rheumatismi*, aut Catarrhi rheumatici ob copiosum *serum acre* & largam bilem, quos generant *humores*, concurren- te præcipue fortiori commotione, familiares & fre- quentes sunt, qui caput intensius affligentes, facile rhev- maticam *febrem* in consensum trahunt: quid quod ejus- modi affectus cum *spasmis* fixioribus & pertinacioribus conspirantes, interdum *ominosos* ferme anonymos, ad *spasmorum* autem Classem referendos complicatos & in- tricatos morbos generant: huc applicamus, quæ SCHNEI- DERUS *de Catarrhis Lib. V. cap. 8.* profert: *Venari illis, qui Catarrhis urgentur, inimicissimum omnium est, ut fert non- nullorum opinio. Savonarola, causa Catarrhi inquit, est nimia vociferatio & exercitium forte, hinc rheumatizant venatores: hæc ille: Catarrhi non curantur improbis labo- ribus, currendo & æstuando: tantum SCHNEIDERUS. Nu- merum*

merum talium morbosarum molestiarum caput affligentium, augent pathemata *angustatoria*, *asthmatico*, glandulas capitis in consensum trahentia, nec non insoliti & ominosi *rubores* & *ardores* genarum, ut & *efflorescentiæ* pustulares atque tubercula in facie, conjunctæ etiam crebriores contumaciores *congestiones* faciem ex parte valde vexantes & interdum deformantes, si præsertim talia subjecta singulari *falsa* sanguinis intemperie & *viscidæ* lymphæ depravatione laborent: quales alterationes illa præcipue subjecta afficere solent, quæ *spongioso* habitu corporis prædita, proinde adhuc in *vigorosa* ætate constituta, valde succulenta & plethorica, sanguine largiter *bilioso* & seroso instructa, insuper in *orgasticas* illius commotiones admodum prona, *collo crassiori*, pinguiori & *breviori* distincta sunt, quæ sub *dieta* liberalius *spirituosa* ingerunt, sub venatione autem ob *nimiam* commotionem & sanguinis inturgescentiam, *Solis ardorem* & *frigoris* accessum perferunt, quæ qualitates proxime *caput* & *faciem* attingunt & alterant; quæ causarum congeries & communicatio eo facilius prædictas molestias excitare solet.

§. IX.

Nec Caput solum, sed proinde etiam *Pectus* sub & ex *Venatione varias* morbosas offensiones experitur, si pedestri, si equestri exercitatione corpus commoveatur; plurimum enim sub hac venatoria occupatione & delectatione *pectus* sustinet, quando *ab intra* sanguis *fortius*, *largius* & citius illud opplet & transit, ut *pulmones* & *vasa* sanguifera in *universo* pectore nimium sanguine impleantur & *distendantur*, ob *laxiorem* illorum texturam facile infarciuntur, ac suspectæ stagnationes, accumulationes & *stases* in iisdem generentur, aut intensius commotus, *ebul-*

*liens* ac elastica auctiori qualitate teneras pulmonum & vasorum membranas expandens, actuale *perruptionem* & extravasationem causatur, aut pro *differentium* humorum exsuperantia atque dominio, nunc acuti *sanguinei*, alibi *serosi*, modo *pituitosi* affectus oriuntur: ut & quando *ab extra aër*, mediocri temperie præditus, ob præcipientem & *vehementem* inspirationem æque *teneræ* pulmonum fabricæ facile *vim* infert strenuis venatoribus, wann sie sich in der Luft versangen, & ob hanc causam in repentinis infarctus & in subitas atque periculosas humorum stagnationes incidunt; tanto magis si aër *inquietus*, turbulentus, *densus*, *humidus*, *frigidus*, nebulosus aut pruinosus, aut quadantenus *ventosus*, vel contra valde *tenuis*, *æstuosus* & potenter *elasticus* fuit, quæ qualitates eximie motum sanguinis aut *sufflaminant* & impediunt, aut accumulunt & *turgesfaciunt*, semper autem in *qualibet* parte perquam *turbant*; qualis aër secundum *communes* venationum qualitates atque successus *non moderate* ac sedate, sed *præcipitanter*, profunde, intense & plene hiante ore & distentis narium pinnis inspiratur, ut ita quoad *materiales* respectus, *motus* qualitates, & *modi* respirandi rationes diversæ alterationes concurrant, quæ pro varietate qualitatis *sanguinis* & *structuræ* thoracis, varios morbos gignunt: Hisce causis si concurrunt ingesta potulenta *spirituosa*, quæ sanguinem auctiori *orgasmo* afficiunt, ut & laxior *amictus*, cuius *levitas* ortum & molestiam *exæstuationis* arcere, præservare & *temperare* debet; hinc pectus proximius adspiranti & afflatu *frigido* accedenti aëri exponunt, ejusque efficaciori alterationi submitunt. Hæc causarum series varios generat morbos & quidem frequenter *peripneumonias*, ut & Pleuritides, anginas, aut  
inter-

interdum cynanchem &c. hinc RAMAZZINI *de venarum morbis* dicit: *hyeme ob frigoris vehementiam & facilem pororum cutis constipationem, post aliquot sudatiunculas, in morbos pectoris incidunt, uti pleuritides, peripneumonias*: Subinde etiam graves *catarrhales*, diutius affligentes, multum *angustiam* inferentes, *febrem* facile accercentes, cum *rheumate* sæpe conspirantes a venationibus oriuntur: *media* quasi via incedunt *faucium* affectus, quos *böse Hälse* vocant, velut *branchi*, inflationes semi inflammatoriae, *uvulae & tonsillarum* morbi, stagnantes *Catarrhi, Rheumarismi* in collo, scapulis, humeris, *steife Hälse*: Corripit interdum *Hæmoptysis*, *asthma* catarrhale & quandoque *spasticum*, cum metu *suffocationis* & valde anxia respiratione, *palpitatio & tremor*, cordis, *Hydrops pectoris & pericardii*, infarctus aut *vomica* pulmonum, affectus *arbitrico-rheumatici*, *phthises & polypi* cordis: qui posterior in illis præcipue oritur hominibus, quorum sanguis *pinguior & viscosior* est, qui autem sub *fortiori* venatione *sufficienti* sua fluida *humiditate* destituitur *largius* autem ad cor congeritur, ut posthac facile illius thalamis & sanguiferis vasis adhærescat, atque fundamenta ad talem fatalem concretionem disponat, ut facile consequentia signa insolitæ angustiae, ut & irregularis pulsus &c. de *ardua* tali causa morbifica testentur: quæ vero ab illis discerni debent, quæ *ampliores* & firmiorem pulmonum concretionem cum pleura indicant, quippe quæ pariter morbos a fortiori venatione dependentes comitari solet. Et tales morbosas pectoris afflictiones, præter annotatas modo causas, multum etiam *clamosa & strenua vociferatio* provocare & accelerare solet: Præter hæc singula jam recensita pathemata imprimis *eminenter pletborici* & simul sanguine  
*valde*

*valde fluido* præditi, cavere debent, ne *immoderata* venatione subitaneam, eamque interdum confestim *funestam* Hæmorrhagiam pectoris, absque tamen crassa violentia infelicis casus, præcipitationis, contusionis &c. provocent.

§. X.

In recensendis morbis, quos venationes causari solent, jam alios, qui in *abdomine* theatrum afflictionis suæ erigunt & tragicas suas scenas illico ludunt, commemorabimus; quo loco iterum MERCURIALIS verba *l. c. p. 385.* conciliamus: *ego venationem equestrem illis evitare præcipio, quibus caput faciliter offenditur, quibus fractionis venarum in pectore periculum imminet, quibus lapilli in renibus aggregantur, quibus peritoneum debile, aut ulla herniæ suspicio est, & quibus tandem universus corporis habitus colorem plus quam mediocrem obtinuit: siquidem multos videre licet venatores, quos partim ob clamores, partim ob motus violentiam similes morbi occuparunt, & quandoque ad interitum deduxerunt, qua de re prudenter Martialis PRISCO Lib. 12. Epigram. 14. ne veredo (erat is equus velociter currens) in venatu uteretur consuluit hisce versibus: Parcius utaris, moneo, rapiente veredo Prisce, nec in lepores tam violentus eas &c. & tandem claudit: quid te frenant juvenant temeraria? sæpius illis Prisce, datum est equitem rumpere, quam leporem: Quemadmodum autem communis regula est, quod exercitationes corporis non pleno, sed magis vacuo ventriculo institui debeant, ita idem consilium venatoribus dare convenit: ægre enim diu ardui tales labores jejuno ventriculo perferri possunt: præcipue dum appetitum potius excitant atque urgent, sicut MERCURIALIS *l. c. p. 386.* inquit: *excitat venatio appetitum: si itaque contrario* more vivitur, & *cibus onerato* ventriculo*

venationes continuantur, varia illius *incommoda* oriuntur, quæ *cruditates*, turbulentam concoctionem, atoniam, flatus, anxietates, vomitus &c. complectuntur: prout etiam alias ventriculus fonticorum morborum sedes esse solet, qui omnes corporis regiones in consensum trahit, ita inde e fortiori & immoderatiore venatione lerna malorum gravissimorum metuenda est: præterea variæ morbosæ *intestinorum* afflictiones a tali venatione extimescendæ sunt; & quidem *æstivo* tempore affectus *biliosi*, velut colica & alvi fluxus biliosi & *dysenterici*, autumnali autem & vernali præcipue colica & alvi fluxus pituitosus flatulentus, *anomalæ hæmorrhoidales* commotiones magis *coactæ*, aut in *stagnationes*, *stases* vel plane *prodigas* fluxiones transeuntes, & ita quælibet temporum periodus ob aëris & qualitatam multarum naturalium concursum & *subitam* mutationem peculiare suas morbificas alterationes pedisequas habet. Huic affectuum numero accenseri merentur varia *diureseos* vitia, dum sub *vebementiori* cursitatione & præcipue equitatione *urinaria* viæ nimium afficiuntur, concutiuntur, humorum *largior* affluxus ad & per illas provocatur, indeque similiter nimie *impletiones* & distensiones, aut stagnationes aliaque consequentia mala, velut *urgens stranguria*, pertinax *dysuria*, periculosa *nephritis* & valde vexans *calculosus* cruciatus excitantur: quando etiam in certis *individuis* in ejusmodi affectus *major* adest propensio, tunc magis provide atque moderate, minus autem frequenter venatio, omnium minime autem *strenua*, exerceri debet. Quantum etiam damni intensior & ardentior venatio equestris *sedalibus* locis, indeque affluxibus, ardoribus, excoriationibus, acribus humorosis feces-

tionibus exulcerationibus, perinei molestiis, tuberculis, fistulis, efflorescentiis serpiginosis, inflammationibus turbulentis & coactis hæmorrhoidalibus furoribus &c. causam & ansam præbeat, facile observatio testatur: ita etiam in ratione fundatum & in experientia comprobatum est, quod immodica venatio *generationis* organis magnam inferat offensionem, dum nimia illorum *succussatione* aut larga sanguinis affusio, aut *præcipitata* genitalis liquoris secretio, ideoque *turbulenta* & imperfecta illius præparatio, aut *viarum & canalium* nimia *dilatatio*, aut earundem partium fontica *enervatio*, aut suspecta humorum stagnatio & stasis inde excitatur, ut membra in *vivis* genitalia aut *flaccescant*, aut ægerrime obrigescant, aut impurum & *immaturum* seminem colligatur, aut præmature & perversè illud excernatur, aut tumores ominosi in illis partibus oriantur, quales sunt *Herniæ varicosæ*: quare RAMAZZINI *de Venat. Morb. p. 683* inquit: *Herniis etiam interdum obnoxii sunt, ob saltus & motus inconditos, dum feras seclantur.* Et talis *vehemens* corporis commotio, concurrente præcipue reliqua *incongrua* diæta, imprimis præceps & larga *frigidorum* ingestio facile *absconditos infarctus* in Hepate, Liene, Pancreate, glandulis variis abdominalibus, proinde febrem lentam, hecticam, œdemata, diarrhœam ferme colliquativam, aliosque confusos affectus causatur: ita ut varia morborum in abdomine imprimis sedem suam erigentium schemata a tali fortiori venatione originem trahant.

§. XI.

Quamvis etiam *arthritis, ischiadicis & podagricis* subjectis *moderatus* corporis motus apprime utilis observetur, *vulgaris* tamen venatio tale moderamen quoad *equestrem & pede-*

*pedestrem* modum & exercitationem, non servat, ideo affectibus illis minus salutaris est, quia illorum aut *exacerbationem*, aut *vagam* anomalam, aut *complicationem*, aut *retrocessionem* facile invitat, præcipue si prædictæ *perverse* & ominosæ qualitates *regiminis* & *diætæ* concurrunt, quæ ferme inevitabilia & inseparabilia venationis sunt accidentia: quare exempla haud rara sunt podagricorum, qui venationibus *strenuis* adfuetos & comparate *moderatos* recursus suos *spasticos* ita *exasperarunt*, ut periculosi colici convulsivi, asthmatici suffocativi, cardialgici, emato-syncoptici, inflammatorii, tympanitici, nephritici & similes alii affectus ortum capessiverint. Porro *immoderatæ* atque incongruæ venationes interdum *subitaneas* & *absconditas stagnationes*, viarum, canalium & organorum occlusiones admodum suspectas causantur, cum quibus ominosæ tusses, virium dejectiones, insoliti anxii & nocturni sudores, angustia præcordiales, impallescentia & contabescencia velut pessimi successus ac fatalis exitus terribiles indices concurrunt. Et quot non individua sub & ex hoc delectamento sylvestri & arvensi *varias Februm* species venantur, quæ pro concursu *tot ac tantarum* causarum *morbificarum* satis arduæ & æstuosæ sunt, siquidem venationes etiam sub *gelidissimis* aëris qualitatibus nihilominus eximios *exæstuationis* gradus provocant. Quod si etiam certa subiecta magnam & intimam corporis *inquinacionem* & *intemperiem* continent, ut superius brevibus indicavimus, sive *biliosa*, sive *scabiosa*, sive alia *salsa ulcervascens*, sive *scorbutica*, sive *purpurascens*, sive alia fuerit, tunc venatio iisdem haud salubris existit: recte itaque FERNELIUS in *Method. med. Lib. 2. c. 20.* inquit: *impuriori corpori vitanda est exercitatio.* Cum e-

*nim vitiosos humores confundat ac perturbet, quos tamen nec evincit, nec prorsus depellit, plerumque morbis gravioribus rudimenta ponit.* Utut enim præsentē tali humorum impuritate *conveniēns* corporis commotio non parum utilis est, tamen *ille* motus corporis, qui venationibus exercetur, huic causæ morbificæ, adhuc clandestinæ & latitanti, valde est *infensus*, quoniam illius *inquinamenti* vis *perniciosa* exagitur, *augetur, excitatur* & acceleratur, ut sæpe consultius sit dormientem & *quietum* talem hostem nec *movere*, nec *irritare*: Et quod in præcedentibus monuimus, id non sine causa prægnante repetimus, videlicet Venationem nimiam iis maxime infensam esse, qui *nunquam variolas & morbillas* perpessi sunt, interea ob peculiarem suam constitutionem corporis & diætæ rationem, qua largam eamque pinguem *lympham* generant, ob eandem commotionem fortio rem humorum, uberiorem *seri subtilioris biliosi* copiam, lymphæ valde inimicam, acquirunt, unde miasma illud variolosum & morbillosum generatur & producit, quod hac *potentiori* causa natum & excitatum tanto *majorem perniciem* minatur. Eadem *strenua* venatio non modo *largius* serum sulphureum, ad *bilis* generationem & augmentationem, format & producit, sed & bilem acrem & subtilem plenius & copiosius *in* massam *sanguineam* transfert & affundit, ut varia alia affectuum *biliosorum* specimina inde orientur, qui interdum ferme *icterica* pathemata, *serpiginosas* & flavescētes *cutis* efflorescentias valde *prurientes*, *maculas* defœdantes, dolores spasticos &c. inferunt: quemadmodum hujuscemodi Nimrodiani aut fortes venatores, non modo *strenua sudatione* multas impuritates *excernunt*, sed æque *largos*,

si non ob variarum causarum concursum *adbuc plures* hae vehementi commotione *regenerant* & accumulunt, ut propterea eorum Humores communiter valde *intemperati*, acres & varia impuritatis specie inquinati deprehendantur. Hanc seriem morbificarum afflictionum *auget* etiam frequens casus *Herniarum*, variorumque *tumorum*, ut plurimum perquam *venitentium* & immorigerorum, quales a vehementioribus corporis commotionibus, contusionibus aliisque violentiis oriuntur: sicut immodica talis commotio non nisi vitæ & sanitati admodum præjudiciosa esse potest & solet, cum vicissim veritati perquam illud SENNERTI assertum respondeat *Institut. med. Lib. 4. Part. 1. c. 5.* quod *optimum & ad sanitatem tuendam commodissimum exercitium sit, quod omnes partes æqualiter exercet.* Inde facile liquet, quale præjudiciosum & perniciosum lucrum *flagrans & immodica* talis *venatio*, quæ præsentis tractationis Subjectum fuit, ferat & promittat: inde etiam facile concludere licet, qualis circumscriptio & moderatio cum hoc exercitio corporis, quod multis perquam acceptum & gratiosum est, observanda sit: talis enim *venatio* valde enervat, & si ejusmodi strenui venatores in morbos incidunt, tunc ob eandem virium dilapidationem vel *tarde* vel *difficulter* convalescunt: huc quadrat RAMAZZINI *de morb. venat.* elocutio p. 683. *longe differunt exerciti in venatione, ab habitu exercitatorum, de quibus Hippocrates, venatus enim non est hujusmodi exercitatio, quæ corpus augeat, sed potius exsolvat, ut suis etiam canibus venaticis similes reddantur: itcirco Galenus venatores ajebat, oportere esse duros & rigidos, neque pariter nimia diata esse macerandos, ne vires magis alterentur, necesse est*

*enim, ut qui huic arti se dederint, robustæ sint constitutionis, alioquin cito fatiscunt, & variis morbis corripiuntur.* Tales itaque morbos hac deductione sufficienter indicavimus & explicavimus. Quare nostram venaturam claudimus & retia componimus: DEO propitio humillimas grates pro almo suo auxilio in hoc labore Academico præstito referentes, devotissimis precationibus contendimus, ut huic æque opellæ ac reliquis nostris studiis, officiis & conatibus, prosperum concedat & largiatur

F I N E M.

---

CLARISSIMO ET NOBILISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**

S. P. D.

P R Æ S E S.

**Q**Uam infirma, fragilis atque instabilis corporis humani moderna est conditio, tam multa, sincera, simplicia & efficacia præsidia & adminicula ad sublevationem & tutelam illius cœlestis ordinavit & suppeditavit Sapiencia, providentia & Clementia. Certe non frivole aut sciote observarunt ingenuæ mentes, quod cum decremento naturæ macrocosmicæ, etiam robur vitale in microcosmo æque vacil-

vacillet, languescat & decreseat: non pauci perversis moribus & pravis consuetudinibus in propria sua viscera evaginato velut gladio sæviunt: Et quid dein inconvenientius est, quam deperditas vires naturæ speciosis & miraculosis, ut plurimum tamen fallacibus, restaurare & restituere velle artificiis & larvatis experimentis. Ipse ordo atque processus vitæ naturalis adeo simplex & sincerus est, ut in libero, spontaneo & placido suo decursu feliciores faciat progressus, quam si coactæ, scrupulosæ & artificiosæ inventiones eidem ad latus ponuntur. Et dum omnes mutationes in hac rerum universitate motu absolvuntur: ita etiam otium est animæ caries & viva hominis sepultura. Quantum etiam congrua corporis exercitatio ad sanitatem integram & longævitatē conferat, multa testantur argumenta, exempla & suffragia: hæc sicut liberum & naturale exhibet subsidium, ita convenienter & sufficienter conciliari & administrari debet. Sed cum diversæ talium exercitationum species dantur, quæ discrepanti ætati, constitutioni corporis, conditioni, vigori, adfuetudini & vitæ generi quadrant, ita ex iisdem Venatura peculiarem meretur explicationem & applicationem, tam respectu salubris usus, quam intuitu noxii exercitii. Posterior consideratio **TIBI PRÆCLARE DOCTO DOMINO CANDIDATO** placuit, ut curatori deductione indices, quænam damna ab inconvenienti, immoderato & turbulento ejus usu certius metuenda, adeoque sollicitè vitanda, fugienda ac meliori directione corrigenda & avertenda sint: Et hanc tractationem præsentè In-  
augu-

augurali Specimine laudabiliter selegisti, suscepisti  
perfecisti. Plures etenim modo decurrerunt anni,  
quibus inter nos singulari & laude perquam digna  
solertia Medico Studio operam dedisti, proinde in  
manuductione practica indefessum, constantem ad-  
modumque promptum TE praestitisti, praeterea  
probo, modesto, honesto & virtutibus variis, ju-  
venem selectioris mentis decentibus, ornato vitae  
genere multis TE commendasti, insuper etiam in  
examinibus solemnibus egregios profectus, hono-  
ribus academicis dignos, ordini nostro probasti, ut  
de ulteriori prospero rerum TUARUM successu o-  
ptima quavis ita fidenter sperem, quo DEO &  
proximo multa ingenua officia porro sis praestitu-  
rus. Quod superest divinam imploro clementiam,  
ut ad sincera vota TUIS honestis atque salutaribus  
negotiis felicissimos largiatur successus, efficiatque  
ut sub integræ sanitatis animique perennantis vigo-  
ris comitatu omnia fausta experiaris. Vale. Dab.  
Halæ Magdeb. XV. Calendar. Octobr. A. R. S.

CLO LCCC XXXIX.

